Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sammlung verschiedener theils gedruckter, meistentheils aber ungedruckter Schriften und Nachrichten, so vor und währendem 30jährigen Kriege sind verfertigt worden, und die damaligen Unruhen in ...

Burchard, Philipp

[S.l.], [16. Jh/17.Jh.]

Resolutio consilij Castrensis in compendium contracta

urn:nbn:de:bsz:31-98962

Visual Library

Resolutio consilii Castrensis in compendium contracta.

Sacratissime Caesar, Clementissime Domine.

Nostrum quidem consilia belli tractare, non est, sed iussis obtemperare, manum bonis consiliis commodare; quia tamen, ut Artificium controversias optime iudicare possunt Artifices, ita etiam vestra Maiestas voluit nos de bello, cui gerendo vacamus, sententiam nostram dicere, velut belli alumnos. Mentem nostram obsequentissime de toto negotio aperiemus, bellica solum attingemus. Nam quae cum Principibus, urbibus aliisque agenda sunt, ad togam pertinent; Sententia quae nostra, quam viribus et sanguine pro Maiestate vestra defendere parati sumus, haec est.

1. Principio certum, fixumque tenemus, bellum imminere, ingens, multiplex, asperum. Ingens, a tot unitis Regibus Principibus, Rebus publicis, dura coniuratione conflatum. Multiplex diversis locis, et causarum praetextibus agitatum. Asperum, quia a victis, cupidis, irritatis, egentibus, exulibus, multo sanguine si vincant, regnaturis institutum.

2. Non minus etiam manifestum est, tot hostium, quocunque loco aut praetextu contra quoscunque pugnantium unum esse in commune consilium, et mutua pactione scopum propositum; Domum Austriacam, Unionem Catholicam, et eius amicos evertere, extirpare: Quamvis singuli suos fines habeant: Palatinus Boemiam, Hollandi maris Imperium, Veneti incrementa Italica et Illyrica: Imperium Gallus. caput tamen foederis eversio nostra, Caetera ad Victoris praemia pertinent, et multa a multis dissimulantur, quae dies patefaciet.

3. Hinc omnes et singulos exitio destinarunt; perinde illis est, quaeve primum, quaeve deinceps evertant. Non nullis securitatem spondent, ut quiescant, donec alios vicerint, quos ad ultimam praedam seponunt; quo facilius singulos carpant, donec universos consumant: Aliam causam Palatini, aliam Vallis Tellusina, aliam Hollandorum, aliam Halberstadii faciunt, ea solum causa, ne nos concordes simus: Illi autem praecisis paulatim membris et sibi insitis corpus infirment, suum augeant et roborent.

4. Ex his concludimus, si victores evadant (quod Iustus bellorum Arbiter Deus hactenus avertit, et porro avertere libebit:) omne genus calamitatis subeundum victis: Et in damna, quae fecisse se dicent, sarcienda, non provincias modo, sed etiam opes privatorum abituras: dicetur nobis: Veteres migrate Coloni.

5. Pacem nos impetrare non credimus, nisi Palatino, Hollandis, Venetis, Gallo, Anglo, Turcio, Betthlehemo eorumque asseclis omnia postulata concedamus, quae talia erunt, ut nobis nihil relinquendum sit, aut illi nos in potestate sint habituri: tanta enim se praeditos potentia credunt, ut de victoria nihil dubitent. Itaque pacem non nisi victoriam supparem nobis imponent. Deinde in foedere eorum est, ne ullus sine aliis seorsum pacem faciat; a toto igitur coetu pax petenda esset, quae tarde conveniet, et tanto indigniorem dabunt, quo nos in supplicando timidiores viderint.

6. Omnis ergo in bello spes cum divino auxilio fortiter gerendo, quem confidimus solita clementia iusta arma prosecuturum. Quod si humanas vires spectemus (quas tamen sine divina manu nullas esse scimus:) non esse nos impares hostibus putamus, et si modo et rebus benigne a Deo nobis suppeditatis, prudenter cauteque utamur, etiam multo superiores.

7. Veteres igitur legiones retinendae, supplementis integrandae, novus miles scribendus, subditi, urbes tutum armandi, cum urbibus, amicis, Principibusque etiam dubiis agendum, quae consilio togato relinquimus. Haec autem praeter illa quae aguntur suscipienda duximus.

8. Ut hostem primum quo ad ius fasque est, imitemur, unum corpus simus, respectus et aemulationem ponamus, si minimum laedatur membrum, in ultionem totum corpus insurgat; praetextus hostium negligamus, quod nobis oportunissimum est, primum arma inferamus, omnis ex quocunque successus nobis addit, hosti vires subtrahit.

9. Animi magnitudinem et audaciam, consilio et arte comitatam, non minus in consilio quam in acie necessariam esse ducimus. Bellum audacissime geri debet, aut non suscipi. qui timide totam belli rationem administrat, nos vinci iubet; Quid timemus hostem offendere, qui iugulo imminet? Gladiatorem nemo ut tardus, timidus, socors, sed ut alacer, fortis, industrius sit, hortantur omnes.

(margin: belluas fe… … ferire in… … blanditiis … non … tentat.)

10. Alacritatis et audaciae, quam probamus, praecipuum opus est, non expectare hostem venientem, sed ultro terrorem inferre; in hostico melius geritur et trahitur bellum, iam omnia constituta sunt hosti, quae nos aggrediatur, si nos praeoccupaverimus consilia, faciemus illi incerta; Miserum est bobus contra lupos bellum, semper defensivum gerunt, non aggrediuntur; ita lupi semper a bobus securi sunt, cum volunt, nam primum acie excedunt, extra periculum sunt, at ~~boves~~ perennes, circumstant insidiae. Itaque lupi sumptu boum bella gerantur, boves suo sanguine hostem alunt.

(margin: boves)

11. Maiestati vestræ suademq, ut Venetis belli authoribq, præter copias, quas habet, quam plurimos Cosacos, ...
cas, Croatas, Sionienses, Ungaros fidos, immittat terrâ mari, loca oportuna munita, ut caueat, ut con...
agrum habeat infestum, sic vel a Ligâ recedent, vel collatione pecuniæ aliò vertent; Opus ē, & aliis
Cosacis, nec paruo numero, quos Cæs: Mai: & vnio conducere possent; Nam si in Franciam regionem
patentem, & equitatui peruiam mittuntur facilè Regem à bello auertent. Alii vero Prussiam & Mar...
si incursent, celeriter Brandeburgicum à Neoburgico oppugnando auocabunt. Si publicè Poloni non
consentiant, priuatim magnates facient; Rex ipse permittendo, dissimulando, occultè hortando
iuuabit. Non deerit, quo eum, & filiis eius gratificemur Germani. Quod si arctius, sed occultum foedus
ineamq cum Polono: promittamq illi auxilium ad Sueciam, non deerunt illi rationes, multa nos i...
uandi, hostibq nocendi. Moderationem suadent, extrema uitanda ee docent, lenteq agendum. Ni...
rum hæc consilia locum habent in caussis Ciuilib: & ante susceptum bellum locum habent: at cum ...
bellum geritur, tuba insonuit, iam in extremo stamq. Moderatio ē grauenire; scelq non omnes rationes
vincendi legitimas quærere; An non pugnabo? nisi vulneratq? an non prius inferam vulnus cum
possum? an melius pugnabo mutilq? non frangam hostem, quâ parte fragilis ē, parcam meliq hos...
in acie, ne occidere me non possit, nonne adhuc agunt illud, ut nos ne simq, aut Mancipia ...
ca simus? hæc lenitudo hostem fortem facit, mitto, opprimi potuisset, sed dum lente agitur, ...
ualuit; Boum ista sunt, non hominum consilia.

12. Catholicam Maiestatem non ambigimus de Italia, Sabaudia, Pyreneis, montibq prospexisse
De Belgio vicino loquimur, in quo hoc putamq suggerendum, habere Regem facilem, efficacem ...
rationem se & sua tutandi, Hispanias & Indias liberandi, si uti uelit commoditate à Deo d...
Maris & Portuum. Hoc quia hucusq factum non ē, hinc clades, inducia, indecoræ; nunc pe...
lum summum, nam qui mare habet, omnia habet, qui non utitur, magno sumptu, nihil aut parum
agit, urbes se ad Classem alendam, obtulerunt, inceptum ē, & penè desitum ē: nulla re mag...
Hollandi grauisi sunt, nam Classe illa domari potuerunt, commerciisq impeditis, nec periculum
est, nec sumptq Regis, sed utilitas defensa Prouinciæ, Duces Centuriones, Classiarii, Iurati
in uerba Regis. Hoc si restituatur, neminem metuet, Serenissima Infanta; Sin autem secus, in sin-
gulos annos de fortunæ summâ periclitabitur; & forte ruina aliquando irruens etiam
Hispaniam trahet.

Hæc nostra ē, de rebus agendis, atq etiam Legionum sententia quam Sac: Maiesti Vræ
obtulimq: quam prudenter, non ē nostrum iudicare: Certè fidelissimè, quod in peri...
lis & acie magis, quam in Curia probare parati sumus.

Consilium Cesareum de bello [illegible]